

curio angulo procul ab omni hoc tumultu, & congressu potius politico, quam academico tempus impendere facis, ac severioribus studijs. Vellem tranquillo, ac beato otio perfrui, ut Deo liberius vacarem: novit ille, qui scrutatur hominum corda. At precepto Superiorum constringor, &c. Cui namque admirationi non sit, quod maiori mentis portione toto videlicet animi desiderio inter fagos, & quercus latitans, minori tantum scholasticis congressibus incumbens, nihilominus talia, ac tanta eruditionis, ac sapientiæ edideris monumenta, non quidem libidine aucupandi hominum gloriam, quinimo scholarum plausus profusus fastidians, nisi constringeret obedientia. Propterea ni fallor Te honores, ac dignitates certatum adire: veluti enim umbra sequentem fugit, insequiturque fugientem, sic communes plausus, Cathedre, ac dignitates tanto cumulatiùs Te insignire ambiebant, quo Te longius ab omni honoris ambitu semotum spectabant. Indè cunctis in dies venerationi, & amori pariter eras; ut enim de me fatear, Pincia cum residerem, ut auribus insonuit quod comitijs generalibus ibi celebrandis adfueras, ingenti gratulatione (quod & cæteris ferme omnibus scholæ professoribus contigisse memini) accutris, uti ad virum fama, & scriptis univèrsam per Hispaniam celebratissimum, scelicem sortem autumnans, si tanti viri aspectu frui, doctrinaque imbui valerem. Neque sefellit spes, non semel enim id ibi assecutus, celebriorum illius Academiæ Magistrorum cœtum ex ore Tuo pendentem, ac suspensum conspexi; utpotè ex quo doctrinæ, eruditionis, ac eloquentiæ rivus dulci, ac perenni fluxu promanantes haustu insatiabili ebibebant. Ex tunc igitur strictissimo, licet sterili, affectionis vinculo Tibi addictissimus esse cœpi, ac proindè emulari ardetius sclicitatem Discipulorum, qui Te Magistro familiaris, ac diutius frui mererentur. Sed ecce Superiorum iussu Salmantinam constringor adire Academiam eius in celebratissimo Theatro theses Theologicas propugnaturus, ibi inter tot Magistrorum cuneos Te mihi fors fortunata Patronum tulit. Sub cuius auspicio, non solum quod alijs invisseram, assequutus, tanti nimirum Magisterij discipulatum, verum etiam, quanti Tuum patrocinium, & opitulatio valeret expertus sum. Necnon è propinquo suscipere merui egregias animi Tui dotes, ac virtutes, eas potissimum, quæ Te Magistrum, ac Ecclesiæ Doctorem omnibus numeris absolutum commonstrabant. Ingenuitatem imprimis quibuslibet passionibus, aut affectionibus superiorem, genium item summe pacatum à factionibus prorsus liberum, ac iuxta Philosophi præscriptum utrosque amans, sed à certioribus persuaderi desiderans, docilitatem etiam animi præstantissimam, qua maiorum, antiquorumque semper veneratus sapientiam,